

00 No

Vir eruditus, et in causis foren-
sibus exercitatus Dn. Iohannes
Schillerus, artium liberalium Ma-
gister M. Fabij Quintiliani
Oratoriarum instit. libros XII:
Commentarios Iohannis Vel-
curionis in Physicam Aristotelis
Commentarium Stigelij in
libellum de Anima

Huius bibliothecae animo liberali
Dedicavit

Anno. 1591

Præsid. Id. vrb.

IO ANNIS

REVCHLIN PHORCENSIS. LL.
doctoris comœdiæ duæ, Scenica progymnasma
ta, hoc est, ludicra præexercitamenta
Et, Sergius uel Capitis
caput.

..



Coloniæ excudebat Ioannes Gymnicus
ANNO M D XXXIIII.



PROLOGVS

Nouus poëta sentiens aëtoribus
 Spacium deesse temporis, quo se parentz
 Vertit statim quam fecerat comœdiam
 In ludum anilem, quem uocat progymnasmata,
 Nec argumento nec stylo sublimia.
 Nam uxoris æs reconditum uir inuenit
 Ac subtrahit, seruo remandat improbo,
 Idem furatur, atq; iuri sistitur.
 Astu aduocati, ipsum aduocatum decipit.
 Non est soluta oratio, sed uinculis
 Iambicis trimetris ligata comice
 Optans poëta placere paucis uersibus.
 Sat esse adeptum gloriæ arbitratus est,
 Si autore se Germania schola luserit
 Græcanicis & Romuleis lusibus.
 Nobis fauete nunc, & huius fabulæ
 Aureis benignas commodate aëtoribus.

FABVLAE INTERLOCV-
 TORES.

Henno uillanus. Elsa uxor Hennonis.
 Abra filia Hennonis & Elsa. Dromo seruus.
 Greta uillana. Alcabicius astrologus diuinaculus.
 Danista pannicida mercator. Petrucius patronus.
 Minos iudex.

Actus

ACTVS PRIMVS
ACTVS PRIMVS.

ELSA HENNO DROMO.

Elsa. Multercularum est misera conditio Hercule

Atq; ijs magis quæ sunt maritis coniuges,

Hoc usq; sensi, quæ uiro sum subiuga.

Quæcumq; uendo, operamq; dando domesticis

Curis, lucris, negocijsq; uillicis

Vel querito, uel condo parsimonia,

Totum hoc meus ludit maritus & bibit,

Vt uix mihi lodix supersit sutilis,

Pauper lacerna, rricula, & calyptra iam.

Non ego capillos plagulis connexito.

Hen. Faxo sciam tantum quid uxor murmurat,

Ne forte sensit quid dolo subtraxerim

De eius crumenula. Sed est mirum unde tot

Sibi aureos corraserit muliercula.

Sum ego uir, & uix de omnibus laboribus

Totius anni uel talentum congero.

Huic autem heri octo sum furatus aureos

Latenter ex loculo, loco uix credito.

Adco mea uxor parca parsimonia

Plus multo agit quàm ego laboribus: tamen

Et hoc quidem nonnihil in annuis lucris

Venit recensendum, quod indies bibo,

A 2 Ludo

ACTVS

Ludo, & scortor aliquando, & balnear.
 Id me beat: tritum quod est prouerbium,
 Tenax requirit prodigum, ille ego ipse sum,
 Et illa rursus hæc ipsa sit necesse erit.
 Sed ad orior tumultuantem foeminam.
 Vxor, bonum fero. Els. Et quidem fero nimis,
 Nil serius mihi est bono, cui labor
 Tantum diurnus incubat, quod uesperæ
 Iam uix queam præ pigritudine hiscere.
 Hen. Quodcumq; sit laboris utriq;, attamen
 Nil nostrum utriq; (quod sciam) reliqui est super.
 Quin ego annuo labore, quem grauius fero,
 Vix superarum. post omnia mihi in lucro est,
 Semilacer incedo resartis uestibus.
 Id ego usq; adhuc mecum moleste cogitans,
 Quod ad oppidum mihi migrandum quotidie est
 Ad honestos et uoluptuarios uiros,
 Quibus affero caseum, nuces, lac, olusculum,
 Poma & pira, & genus id meorum fructuum,
 Statui quidem Danistam amicam filie
 Nostræ prece oppugnare, scis quem nomino?
 Els. Scio, qui in oppido tenax mercator est,
 Nostramq; uult domi suæ ancillarier.
 Hen. Recte tu, cum statui precari, ut crederet

Palmas

PRIMVS.

Palmas decem uel uilioris lanei
 Panni, manuleata quo mihi penula
 Fieret, uel amplius ex eo si emungere
 Possent, idq; uerbo nuper ei insinuaueram
 Dicens: peculium haud mihi ullum extare nunc.
 Conijcere sat ualui nec inuitum fore.
 Quare hic Dromo legandus est in oppidum,
 Ferat mihi à Danista cum pannum in diem
 Credendum, ubi æris atq; opum plus suppetat.
 Els. Tu loquitor illi in rem tuam quicquid uoles,
 Ego exeo, ut curem interea ut stabulent boues. Hen.
 Heus tu Dromo. Dro. quid est? Hen. ueni, haud clam te
 In te animus, ille amans tui, & fidelior (est meus
 Quàm ceteris erga suos famulos sit, hinc
 Tuam fidem in re quadam ego repeto arduus,
 Occultius qua aliàs nihil petiuerim.
 Dro. Sis certus, isti dixeris lapidi, & luto.
 Quicquid tacendum est, optime tacebitur.
 Hen. Mea uxor (ut nosti) se pauperem facit
 Semper, nec ullum obulum dat, in gluuem ut mihi
 Satiem meam, nam alumnus illi ego libens
 Sum, at illa contra mihi nequaquam, eo fui
 Cautior in inquirendo, si peculium,
 Quod parcitate sua lucrata aliquando sit,

A § Alie

ACTVS

Aliquò loci pessundatum, aut absconditum
Valerem, ea absenti, excauare furaciter.
Quid pluribus? repperi in eo ipso septo, item
Et in ipso eodem ouium ultimo præsepio
Octo aureos à foemina reconditos.
Quos te uelim Danistæ ut afferas cito
Huic pannicidæ, nosti? in oppido uiro
Mihî meisq; ualde amico. Dro. Noui ego,
Nam & ille me nouit uicissim, deinde quid?
Hen. Pro his mihi ut pannum bonum mittat uelim,
Quo lautius redimiculum fieri queat.
Ne semper & pannosus, & tam sordidus
Incedere ad sodalitatem & symbolum
Cogar, bibendi aut balneandi tempore.
Dro. Fiat. Hen. caue utiliter geras tibi quæ impero.
Dro. Fiat. Hen. Pecunia nemini alteri, caue.
Dro. Fiat. Magister admonet quod ipsemet
Non negligenter eram sequuturus, mihi ut
Retinerem & aurum, nec darem cuiquam alteri.
Sed pannum ab illo pannicida emungere
Ex credito, & uendere peregrino uiro.
Data pecunia, simul quam ego furer,
Sententia est mea, sic uolo, sic proposui.

Elsa, Greta.

Que.



PRIMVS.


Q Veritur maritus miseriam, totum æs bibit,
 Dilapidat argentum suum tam prodige,
 Quàm si leues essent ariste: ego secus.
 Nam quandocunq; datur, subduco nummulum,
 Commutoq; argentum clam in aurum haud segniter,
 Quod cumulo, & inde condo sub præsepio.
 Hic ludus, hæc mea est uoluptas maxima.
 Nam sæpe bis, ter'ue in die loculum exuo,
 Videoq; si sit aurum, & an speciosius
 Quàm fuerit antea, sic item reconditur.
 Nunc uado item meopte more, dum Dromo
 Iussum capeßit, dum loquuntur inuicem.
 Heus tu crumenula, quàm beate & bellule
 Vales? Sed ecce quid euoluta singula
 Cerno? papæ. Heu miseram me, hoc execrabile,
 Hoc luctuosum, hoc anxium infortunium.
 Crumena non est, ò propinqua subueni
 Vicina Greta, funditus sum perdita.
 Gre. Amica ualde mihi atq; chara, quid Elsa hoc est
 Quod clamitas? Els. Heu funditus sum perdita,
 Ablata uita est, uictus imminutus est. Gre.
 Dic mihi quid? Els, auri aliquantulum congeßeram,
 Defoderam in præsepe clam meo uiro.
 Nunc, cum maritus luget indigentiam,

A 4 Veni

ACTVS

Veni meam resciscitans opulentiam:
Loculum euolutum, & aurum abactum comperi.
Heu me miserrimam. Gre. Scio quid factites.
Els. Quid? Gre. Est in oppido mathematicus, satis
Aiunt peritus astrolabi, & manticus,
Eamus, uno solido mercabimur
Virum, quod indicet peculij furem.
Els. O solidum feliciorum Cæsare.
Gre. Eamus. Els. Ibo, manebit usq; uir domi.

CHORAVLES CHORVS.



DISCANTVS



TENOR



SECUNDVS.



BASSVS



Mortalium iocunditas uolucris & pendula,
Mouetur instar turbinis, quam nix agit sedula.

Quid ergo confiditis in gloria?

Qui diues est, penuriam formidat ignobilem,
Instabilis fati rotam semper timet mobilem,

Degitq; uitam propè fallibilem.

Qui pauper est, nihil timet, nihil potest perdere,
Sed spe bona letus sedet, nam sperat acquirere.

Discitq; uirtute deum colere.

ACTVS SECUNDVS.

Alcibicius, Greta, Elsa.

P Tolomeus in libris alarmabakalet
Artes magisterij bonas nobis dedit
Astrorum, & omnium quæ scire coelitus
Homines docet stellarum & erronum situs,

A S Si

ACTVS

Signorum amicitias, & intutus graues,
Domum locationum, ut inde singulam
Nos rem queamus scire, siue futura sit,
Seu deniq; præsens, aut præterita.
Gre. Audis quid iste astrologus augurat oscitans?
Ex circulo hoc se dicit nosse singula,
Vis ut loquamur de tuo thesaurulo? Els.
Quidni? libenter. Alc. Ecquis est? Gre. aliqua, Alc. quis
Els. Est fœmina priuata, paupera, egena, mops. (est)
Gre. Tace. Alc. hæc domus non pauperes, sed diuites
Amat, repellit pauperes, abite dum.
Gre. Magister, esset ista abundans maxime,
Si per furum licuisset heu petulantiam.
Nam hoc tempore est præreptum huic peculium,
Quod humi de fossam habebat. Alc. Hora cedo qua?
Gre. Iam circiter secundam. Alc. Hoc est scitu dignum,
Aries, dein Taurus, dein Gemini, dein
Cancer, dein Leo, dein Virgo, dein
Et Libra, tum Scorpio, malum hoc signum notat.
Els. Quin pessimum. Alc. tacete, sexta domus cadens.
Rursus malum. mulier rogo qua parte, quo
Momento & horæ punctulo, quoue atomo?
Els. Aecastor haud meminisse possum, horologiumq;
Aeditus ille noster indocte regit.

Alc.

SECUNDVS.

Alc. Qui ignorat ignorabitur, uel aestima.

Els. Post portionem mediam erat recte scio.

Alc. Bene est, fuit tum triplicitatis tertius
Mercurius, hic dominusq; questionis est.

Hoho filete, calculis negotium

Totum breui tenebo perfectissime,

Imò teneo, senex uir est, & uillicus

Caputq; tectus pileo ad latus rubro,

Nebrideq; pectus decorat hirsuta nimis.

Els. Certe marito similis est, Gre. Tace obsecro.

Alc. Bibit libenter, Els. certe is est, Gre. Tace obsecro.

Alc. Et balneatur, Els. Atqui is est, Gre. Tace obsecro.

Alc. Scortatur in mirum modum, Els. hic non est meus.

Nam me recumbentem sibi uix basiat.

Alc. Illi fuit quondam arcta tecum habitatio.

Els. Vetera hic nimis commemorat, haud scio quis est.

Teneris solemus ludere annis latius.

Gre. Tace modo Alc. Unus è uilla est qua uictitas,

Astronomicæ leges uetant plus dicere.

Præstate uaticinanti oblatum solidum.

Els. Tene magister, suspicor male, nescio.

Alc. Valete, Els. certe me hercules tetigit uirum

Meum, Gre. Inuenis multos uiros eiusmodi,

Ego nequiui segregare neminem,

Sic

ACTVS

Sic est locutus in uiros quàm plurimos.

Putas maritus hanc tuam crumenulam

Optaret expilare, egenti qui daret?

Els. O Greta nescis omnium mentes uirorum,

Et te peto nolis cuiquam fidere,

Et ecce quid maritus & Dromo parant?

Gre. Rixantur inter se. Els. unde tantum esset malè.

Dromo, Henno, Elsa.

Pecuniam, simulq; pannum detinet
Danista, ait te affore sibi perendie.

Hen. Quod si nequisset pannicida cum mihi

Tecum dare (ut rediens acute disputas)

Tu debuisses de pecunia secus.

Sed uxor intrat. Tu caue pecuniam

Ne nomines, Danista quid locutus est?

Dro. Et se & sua omnia dat potestati tuæ.

Petitq; filiam sibi ancillarier.

Hen. Fieri potest. Els. Dromo nec optat nec petit.

Hen. Quare? Els. quia inter se odiunt nihil Dromo

Et filia, expedi marite negocium. Hen.

Dromo. Dro. quid est? Hen. aliud nihil responderat?

Dro. Nisi ut ualeres tu & magistra salubriter,

In proximo emporio uelit tecum loqui.

Hen. Sat est, cum tue antur optimi Ioues.

Els.

SECUNDVS

Elf. Et ego opto felix ualeat usq; uir bonus.

CHORAVLES CHORVS.



DISCANTVS



TENOR



BASSVS



*Digna sunt Apolline, Diligamus ergo nos
Que concinunt poëta, Vates coelitus sacros,*

Quo

ACTVS

Quo coruscant numine Quorum ludos scenicos
Diuinitus prophetae. Ostendimus facete.

ACTVS TERTIVS.

Henno, Elsa, Dromo.

E Hodum redegei cuncta nunc in ordinem,
Que mecum ituri in oppidum ferte ad forum,
Vt ueneant quàm plurimi. Els. Num tu traham
Frugibus onustam lateribus uenum trahes?
Hen. Non, uos abite, caulem, olusculum, allium,
Lac, caseum portate supra uerticem,
Partim quoque suffarcinate uestibus,
Quicquid potestis ferre, ferte ad nundinas.
Nam auro est opus non aliter atque uita. Els. ita
Censeo quidem. Hen. Praeibo, uos sequimini,
Dromo Dromo mecum, sed foenum baiula,
Adeoq; binos tolle fasces quoad potes. Dro.
Curabo recte. Hen. Iam ueni. Dro. Venio modo.

Danista, Henno, Dromo.

Pecuniam fers Henno? Hen. Cur pannum mihi
Hoc cum meo Dromone nullum miseras?
Aut cur et ipsos aureos datos tibi
Octo retentas? nisi te fidentior
Essem, nihil non suspicarer, ut solent
Qui nesciunt quis improbus, uel quis probus.

Dan.

TERTIVS.

Dan. Tu uero habes pecuniam, atq; ego pecuniã

Careo, fidem tuam secutus maxime.

Hen. Iuro aureos dedisse, qui nil sumpserim.

Dan. Pannumq; iuro dedisse, qui nil sumpserim.

Hen. Veni Dromo, tibi iste pannum tradidit?

Dro. Nõ, Hen. Ecce. Da. Tũne pecuniam dederis mihi?

Dro. Non. Da. Ecce. Hen. Pannũ tu'ne portasti Dromo?

Nõ, He. ecce. D. crede, dedi Dromoni quindecim (Dro.

Panni bonas ulnas, tibi referret credito. Hen.

Quid credito? numeravi in huius ego manus

Octo aureos. Dro. factum magister pernego?

Hen. Et ego Danista ulnam uel ullam pernego.

Dan. Fateor, tibi Henno non dedi, famulo dedi.

Dro. Factũ Danista pernego. Da. ò probe uir Dromo,

Non inde sic euaseris trilitere.

Dro. Trilitere? hoc quid est? num fama leditur?

Famam uiro obfuscas, magistratus uetat,

Triliterum'ne nomen est suis aut bouis?

Da. Quid si bouem te nominem? sed ò Dromo.

Dro. Quid ò Dromo? feci nihil quod dedecet.


Da. Iudicio sisti te spondes? Dro. spondeo.

Da. Quin iam? Dro. placet. Da. Promitte.


Dro. Promitto. Da. ueni.

CHORAVLES CHORVS.


ACTVS




DISCANTVS




TENOR



BASSVS



QVARTVS.



Musis, poëtis, & sacro	Phœbo referte gratias.
Phœbo referte gratias	Hinc hostis est audaculus.
Visus nequit infirmitas	Qui nescit ullas literas.
Appollinem contingere.	Poëticis ornatibus
Illiterati cæcitas	Poëta uincit uiperas.
Nequit poëtam cernere.	Musis, poëtis, & sacro
Musis, poëtis, & sacro	Phœbo referte gratias.
Nisi fuisset uatibus	Thersites siue Zoilus,
Infensus & contrarius	Nil esset illis clarius.

ACTVS QVARTVS.

Dromo, Petrucius.

S Alue perite iuris, & miseris pater,
 Patrone, consul, rhetor, et legum sciens,
 Pe. Non admodum misero pater, sed diuiti.
 Nam liberi, uxor, & domus multis egent,
 Quos cogor educare mercenarius.
 Quare nihil me pauper unquam diuitat.

B At

ACTVS

At uale pauper, abi, miser nil me beat.

Dro. Quid si lucri ex causa tibi quid nascitur?

Pe. Potest quidem hoc, sed cedò quid negotij est?

Dro. Nostin' Danistam? Pe. Fœneratorem malum

Noui. Dro. Trahit nunc me ante iudicem sagax.

Pe. Quare? nam oportet sciscitari singula.

Dro. Meo magistro quid referre debui

Octo aureis sumptis, eos non tradidi,

Sed credito mercem recepi, & uendidi.

Nunc postulant uterq;, utrisq; pernego.

Nequeunt probare uterq; propositum suum.

Pe. Causam bonam foue, si dimidium dabis.

Octo aureorum, at est secus si non dabis.

Dro. Cui darem? Pe. Mihi patrono, nam mea

Opera solutus eris ab hac instantia.

Dro. Duos dabo, miserere paupertatula.

Pe. Fiat, caue nil nisi ble respondeas.

Si quero quæ, tu redde ble, atque aliud nihil.

Dro. Faciam. Pe. duos mihi polliceris aurcos?

Dro. Promitto dummodo uicero. Pe. Modo uiceris.

Eamus huc, iudex tribunal occupat.

Mimos, Danista, Petrucius, Dromo.

PRæco iube silentium, aduersarij

Vbi sunt? adest nomenclator nominum.

Dan.

Q V A R T V S.


Dan. Compareo iudex, & aio, quod Dromo
Vlnas recepit panni adusque quindecim
Metiente me, precijq; nihil mihi soluerit.
Cogatur ergo octo aureos persolvere. Mi.
Quid tu taces? Dro. Ble. Pe. Apparet hic surdus miser.
Mi. Vade hinc Petrucci, patrocinare surdo huic.
Pe. Ducendus haud uocandus est, id sentio.
Mi. Curate uos causidici, ut unusquisque sit
Cum instructionibus paratus litium:
Ne, ut antea, turbemur in processibus.
Sed introit Petrucius iam, quem prius
Audire & expedire stat sententia.
Pe. Mimos, miser surdaster, atq; mutus hic,
Nequit fateri, aut diffiteri: nec loqui.
Sed consulo Danista causam testibus
(Si uincere optat & obtinere) iam probet.
Dan. Taceat ne. siue loquatur, id refert nihil.
Ego solus hoc sibi solitario dedi.
Igitur probare nil queo, sed hunc peto
Iurare decisorium & calumniam.
Mi. Petrucci, eum adduc, ut uel hunc interrogem.
Homo, Danistæ quid respondendum putas?
Dro. Ble. Mi. Non uoles calumniam inferre improbe.
Dro. Ble. Mi. Interrogatus, uera ne negaueris.

B 2 Dra.


ACTVS

Dro. Ble. Mi. Sed probatione falsa ne uterè.
Dro. Ble. Mi. Néue quos pecunia corruperis.
Dro. Ble. Mi. Differendam ne tibi litem pares.
Dro. Ble. Mi. Sæpe ble, multumq; ble: tibi suadeo
Danista ut hunc missum sinas, nil obtines.
Da. Ego obsecundor & obsequor, ualeat latro.
Mi. Et ego Petrucci absoluo sic clientulum.


CHORAVLES CHORVS.




DISCANTVS




TENOR



QVARTVS.



BASSVS



Cedant fori contentio & iurgia,
 Si uis quies ut sit tibi perpetua.
 In atrio nam tartari
 Sunt & Minos, & Aeacus,
 Et cæteri consules & aduocati,
 Vetat musa sequacibus industrijs
 Frequentare iuridici subsellia,
 Vbi uigent uersutia,
 Calumnia, mendacia,
 Doli mali, proditoriaeq; fraudes.

B 5 At

ACTVS

At hortatur te laureis uirentibus,
Et cœlestibus Apollinis concentibus,
Dies noctes incumbere,
Et libere, Et impigre,
Ut cum Phœbo sempiternus esse possis.

ACTVS V. Petrucius, Dromo.

Fortuna nobiscum fuit Rhamnusia,
Fortuna quæ uertit, reuertit omnia,
Bene uertit acta quæ ante iudicem egimus,
Quibus Danista te uolutum prendidit.
Sed es solutus iudicis sententia,
Opera mea & consilio & auxilio simul.
Quare tuam fidem oro ne me proferas
Quod iure pacti portionem sumpserim.
Multo minus tandem mihi stipulatus es.
Duos enim pollicitus es dare aureos,
Quos absq; controuersia merui probe.
Expecto des: dare uis Dromo? Dro. Ble. Pe. Eiusmodi
Ultra haud oportet alloqui uocabulo.
Dro. Ble. Pe. Non oportet talibus nunc moribus.
Nam libere loqui uales iam. Dro. Ble. Pe. Nihil
Hac uoce, soli cum sumus, deinde est opus. Dro.
Ble. Pe. Vis dare an non, te rogo? Dro. Ble. Pe. nō ioco.
Sed serio, propere est eundem istuc mihi.

Dro.

QVINTVS.

Dro. Ble. Pe. Versipellem me hercules te iudico,
Immemorem, & ingratum mihi merito bene,
Vis soluere aureos duos mihi debitos?

Dro. Ble. Pe. Non quiescam donec inueniam modum
Soluendo sis, aliter minas male senseris.

Elsa, Greta, Henno, Dromo, Abram.

Vicina nunc pendeo animi, opperior uirum,
Ex oppido Danista cui iurgatus est,

Timeo uiri scueritatem, nescio

Quorsum excidit rumusculus de iurgio.

Potens Danista, sed maritus fortior.

At ecce longe illum per arua incedere

Video, suas spargentem & inde & hinc manus.

Scire uelim an assit pax, nimis sollicita sum.

Gre. Quid te attinet, pax iurgium' ue respondeat?

Els. O Greta, nescis? de Dromone & filia

Fuit clam habendum Hennone semper, filia

Nonnihil amat Dromonem, & is magis quidem

Rursus amat Abram ex intimo pectusculo.

Volui utrosq; combinare (ut est sacris

Legibus apertum) matrimonialiter.

Sed heu fortuna quæ domat mortalia,

Ea noluit permittere. at succensuit

Hodie maritus in oppido contra meum

B 4 Dro

ACTVS

Dromonem, & hæc mihi cura maxuma omnium est.
Negligo crumenam Greta, si uiuat Dromo.
Gre. Sine me tuum alloqui maritum ubi uenerit,
Nam mansuetus in modum passeruli.
Els. Tace, uenit. Hen. Quis est domi? Els. Vxor ipsa.
Hen. Excandeo ludibrio me haberi, item
Et infidelem & futilem & foemineum.
Els. Quare marite uirq; dilectissime?
Hen. Quia Dromoni scelus apertum impingitur,
Danista pannum credito dedisse uult,
Dromo negat quod il ab hoc receperit,
Adiere uterque iudicis sententiam.
Gre. Vicine nostræ Henno salue, nam salus
Vbi es tu, ibi est. Hen. Salueq; Greta identidem.
Gre. Quid rerum in urbe? Hen. Vxori ego dixi modo.
Quia Dromoni scelus apertum impingitur.
Gre. Apertum? Hen. Vt ipsi aiunt, at id beat meam
Erga hunc fidem, quod liber est sententia.
Els. Heus liber est, adoleuit hic domi probe
Semper probis & integris Dromo moribus,
Optauit aut filiam uxorem sibi
Quàm sepe, nolui tibi Henno dicere
Nisi nunc. Hen. Dromo solutus ex sententia est,
Aegre Danista fert: uter constantior

Atq;

QVINTVS.

Atque probior sit, iudicis sententia est.

Gre. Vis ergo tecum redeat ille in gratiam?

Scio ubi ille est. Hen. Volo. Gre. Veni Dromo citus.

Dro. Quid est? Hen. Frequens hodie fuit turbatio.

Quo nescio quis nostrum hoc incidit scelus.

Si dicis omnem rem acta ut est, promittimus

Ego & uxor Abram filiam uxorem dare.

Dro. Vxorē? Hen. Ita. Dro. Breuiter reuoluam singula.

Ti Henno octo es uxori furatus aureos,

Pro panno ego quos pannicide soluerem,

Novi quod usurarius Danista sit,

Decepi eum his octo aureis mirum in modum,

Iurisperitum adeptus perfidum & nequam,

Quo tam suam qui pactus esset litium,

Antistophronte, syllogismo rhetorum,

Decepi eundem, quo institutus sum modo.

Nunc cuius est probitas proba ex sententia,

Peto filiam uxorem dari, atq; hos aureos

Loco dari dotis. Gre. Dromo bene iudicat.

Els. Assentior, caream licet peculio.

Tamen nihil molestius perpeffa sum

Vnquam à die qua nata sum, at consentio.

Gre. Decet Henno te nihil refragari modo,

Nam & fortis est, & laboriosus, & efficax,

B S Nce

PROLOGVS.

Nec adhuc uir est, nec adhuc iuuentæ proximus,
Pulcher, decorus. Hen. Filia an placet tibi?
Abra. Placet. Hen. Ergo habeatq; habeat, satis dos ama.
Venite, adeste, estote amantes coniuges. (placit.)
Que contulit laboris æuiternitas,
Ea omnia in dotem damus. Els. pax est rei.
Gre. Vobis salutem opto, huius & comœdiæ
Quibusq; spectatoribus. Iam plaudite.

FINIS COMOEDIAE PRIORIS.

IOANNIS REVCHLIN
PHORCEN. SERGIUS.

PROLOGVS.

SI unquam tulistis ad iocum uestros pedes,
Aut si rei aures præbuitis ludicræ,
SAn hac noui obsecro poëtæ fabula
Dignemini esse attentiores quàm antea.
Non hic erit lasciuiæ, aut libidini
Meretriciæ, aut tristi senum curæ locus:
Sed histrionum exercitus & scommata.
Nam Buttubatta repperisse creditur
Caluariam cuiusdam anilis Sergij,
Qui erat Mahometi magister primitus.
Quo Sergius fit nomen huic comœdiæ.

Fate

ACTVS PRIMVS.

Fatetur ipse scriptor antiquis secus
Fuisse consuetudinem simul & nouis,
Quod scripserint illi trimetro & tetrametro,
At hi soluta oratione licentius.
Ambobus excessit uia nuperrimus
Hic ille noster, nanq; in omnibus unico
Genere usus est, quod paucitas facit actuum
Breuitate temporis coacta februi.
Nunc uos petit fauere ineptitudini.
Si senserit placuisse primitias suas,
Faciet deinceps integras comoedias.

ACTVS PRIMVS.

HELVO.

Cum me & meos contemplor à natalibus
Patrem, patrimum, proauos, tritauos, auos,
Abauos, itemq; atauos, omnem hancq; germinis
Congerminationem, & hunc nostræ domus
Splendorem ab usq; maxumis patruis meis,
Grates habendum mihi duabus est deis,
Iunoni, & eius affecle primiparæ
Lucinæ, ob id quod ea parentela satus,
Que sit notissimaq; famosissimaq;
Ex Heluonibus Heluo haud spurius siem.
Equidem patritos imitor mores, bibo,

Rebis

ACTVS

Rebibo, uoro, deuoro, quod omnes assolent
 Cognomines nati meis maioribus.
 Plus tamen ego ipse cæteris ingurgito
 Et heluor, quare Heluo est nomen mihi.
 Vbi quid est uini, si eius copia est,
 Haud cesso quousq; totus est gurgulio
 Prægnans ab imo & trans gulam: sin paucitas,
 Vel lambo uel lingo, dum odor sagax olet.
 At non (ut est plerisq; mos) in abditis,
 Et solitarijs locis, aut specubus,
 Aut clam uiris penitissimo in quodam penu,
 (Hoc indecorum hominiq; detestabile est)
 Sed cum bonis natabus, ac sodalibus
 Consimilibus mei, atq; item gnatonibus
 Ut ego sum, eo hic quæro meos contribules
 Parasitidos, prædonicam artem qui colunt
 Offarum & amphorarum, ubi est merax merum.
 Qui aliquando delimitioribus iocis
 Mentis furantur, atq; sensus hominum,
 Ut reliquias unctæ patellæ, & canthari
 Vuidæ lacunaria superstitis meri,
 Quadrasq; mensarum, & pia stipendia
 Nostris inanibus gulis & uentribus
 Repensitent: non quasi mendicabulum,

Hoc

PRIMVS.

(Hoc enim esset infamia meis maioribus)
 Sed ludicræ artis præmium, & mercedulam.
 Iam nunc quidem hora ipsa & stata & certa imminet,
 Qua flagriones hi, infimatis ille grex,
 In aliquod usq; contubernium ruant,
 Aut ad forum populo strepant prouerbia.
 Corripiendum illuc mihi est maturrime.
 Nam illis uoluptas maxuma est præsentia
 Frui mea in ludis, iocis, & risibus.
 Scio quod actutum misellioribus
 Sunt inedia miselliores & fame.
 Quærunt ubi commodius sit faucibus,
 Vbi estur & bibitur, sed eccos commodum.
 Eccos propè in medio fori congeminant,
 Coitur, accurritur, habent quid ludicrum:
 Quin ego citatiore gressu propero,
 Et curro nunc etiam probe, ut uideam quoq;
 Salax, Heluo, Buttubatta, Aristophorus, Lixa.
 Sa. Heus tu tribune noster aduola. He, O Salax
 Rerum quid est? ut tu tumultuanter hic?
 Sa. Nescio quid istinc Buttubatta fert boni.
 Curritur ad hunc ceu si exiisset Indiam.
 Ferens auem phœnicem. Eut. adeste chodum thodum,
 Adeste principes furum, histrionum, item

Et



ACTVS

Et ludionum & lusionum & uerberonum.
 Adeste mercurialiter, non plumbei
 Sed plumbei, pedibus uolucris. scio
 Mirum in modum admirabilem, ac uobis quidem
 Ignobilem rem in sinuo, hic intra meum
 Sinum. Ari. Paras anteloquium & rhetoricum.
 Et admodum forense Buttubatta: nam hac
 Concinnitate orationis nemo homo
 Ne Gorgias, neq; Zeno, nec Protagoras
 Te uincet æque arbitror: at exhibe, quid est?
 But. Exhibeam? enim uero nec exhibebitur.
 Li. Tu uero exhibe. He. Exhibe. Sa. Exhibe modo.
 But. Vin uim, triumuii triumuii, heus ohe,
 Appello iudicis tribunal, læditis.
 Li. Dabis. Sa, tenes? But. Cessate furciferi fures.
 Sa, Tenes? Li. Statim. Ari. Tenes? But. Scelesti sacrilegi.
 O parricide, matricide, ne utique
 Præhenditis uel hoc die. He. Trahe, corripe.
 But. Hodie o rapax nequis id à me auellere.
 Lix. Conemur omnibus modis enixim omnes.
 But. Heu penula & bardo cucullus interit.
 Rumpunt sinum misero mihi. Li. Dato. But. Non dabo.
 He. Permittito ut nos leniter queamus id,
 Quodcumq; rerum est quod sinu occulte geris,

Assis

PRIMVS.

Aspiciere, & ultro reddere obsecro, But. Iubes
 Fidem? He. Fide iubeo. But. Statim reddi? He. Statim.
 But. Sanè modo fiet, modo manum exigat
 Lixa, metuo iugulum ne anhelitus opprimat.
 Li. Sic sta. Ari. Fugam capeſſit. He. Interdum manet.
 Sa. Mane fugax. But. Non ædepol ſi libere
 Meme ſinatis fugio. Li. Currite heus perniciousiter
 Quiſq; optimus, plicate cincinnis manus:
 Sycophanta magnitate perfidiæ extimæ
 Num iam reddis? But. ſic anteuortebant uiam
 Iſti appetones, ut ne mus eroderet.
 Lix. Ligate furcifero manus ſimul & pedes.
 But. Ne amice Lixa, ceteriq; complices
 Vincite ueſtrum amœnum & aptum bibefium,
 Atque popinonem egregium, ac aridum æmulum.
 Ari. O palpo, nemo blandior palpator eſt.
 Sa. O blandicella uerba. Li. Proh deũ fidem,
 O ſinguli uos flocciores uellere.
 Deinde leuioreſ pumice, ut non compedes
 Siue manicas huic adhibeatis ferreas.
 Bu. Ble. Sal. muſſitas? Bu. Ble. Ari. Blateras? Bu. Ble. Li.
 Bu. Quid ni? cum ouis ſim, lanã ita decerpitis (balitas?
 Mihi, & caput pilatis, hinc cohibete uos.
 Lix. Quare ſcelus mendacibus uerbis tuos

Fidos

ACTVS

Fidos sodales ludis, & contemptui
 Habes? Sal. dein, quare tenes suspendio
 Animos sodalitatibus? Hel. ante te non pudet
 Celare quod promiseras ostendere?
 Ari. Non te piget mendacij tam uarij?
 Lix. At nunquid autumas a sellos esse nos?
 Sa. An'ne cucullos nos esse cocytos 'ue ais?
 Hel. Quid? nos gracillare est opinio tua
 Gallinae instar? siue cucurrere sic,
 Ut galli assolent inepte? nos uiri
 Etiam sumus, quos sperniet uitio damus.
 Ari. Imò uiri, non foeminae. Bu. Porcos, sues,
 Scrophas graues uos iudico per Herculem.
 Nunquam aedepol homines suatim gruniunt.
 Lix. Et tu haud homo es, sed monstrum abortiuum nimis
 Scelestus & impudice leno trifurcifer.
 Sa. Bustirape, uerbero, fugax, fugitiueq;
 Hel. Socifraude, flagrio, nequam nequissime.
 Ari. Nihil respondes? digne qui crucium feras.
 Bu. Etiam perorastis? ne tandem? mania
 Omnis boni mancipia, blasphemi, nequam,
 Vel sic putastis hoc iocale de sinu
 Meo exterebrari potesse? aliter fuit
 Agendum apud malignum & infamem uirum,

Qui

PRIMVS.

Qui nullam honoris aut probri rationem habet.

Frugi homo ueretur opprobrari & obloqui,

Famamq; denigrari obitam iniurijs.

Contra, infimatis quilibet sycophantulus

Laudes & opprobria inuicem iuxta aestimat,

Maledicta hæc benedictiones arbitror.

Quod si uelitis bellum hoc & lepidum: Hel. Quid est?

Ai. Sa. Quid est? modo dice, pax. Li. Agedum quid est?

Ari. Sinite eloqui quod deglutator cœperat.

Bu. Quod si uelitis pulchrum hoc & lepidum simul

Iocale, quod dudum sinu insinuaueram,

Oculis uidere, ac digitulis contingere,

Non uerbera, at uerba opus erunt mellaria,

Rogationes, supplicatio frequens,

Exosculatioq; item hymnus & preces.

Sa. Hoho deus larualis iste ganco

Gurgustio utetur pro æde me Hercule.

Vult supplicari sibi quasi cuidam deo.

Bu. Quid tum Salax, ubi histrionum sim deus?

Nonne histrionica arte plus præpolleo

Præ cæteris (quos nunc sciam) iocularibus?

Sed supplicate uos breui, est paucis opus.

Nam id, quod fero, dignum est pio supplicio.

Ari. Tibi'ne an iocalibus litabimus?

C But.

ACTVS

But. Vtriq; nam quod gesto dicitur sacrum.
 He. Ostende, monstra, societas una expetit.
 But. At fiat. Ecce, accipite quaeso uasculum.
 Sa. Vis dicere hanc laruam? But. Dij te laruent,
 Quid laruam? eris laruatioꝝ manendeis
 Si pergis hoc loqui modo, mutito heus.
 He. Papæ, cadauer tanti hoc testaceum,
 Lutosum & argillosum & horridulum caput.
 Formido formam, & ossa mortui horreo.
 But. Quam delicatus hic formosulus puer:
 Num tu os times appelle, seu demortuum?
 Os extimescas si sapis trilinguidum,
 Et uiuidum & pilax. Li. Homo hic ex stercore
 Vbi uolet facit aurum, habenda est gratia.
 Bene statur, præstigio hoc salui erimus.
 Nam Buttubatta, dum famelica est lues,
 Hoc arido osse præstito, mendiciter
 Laboriosos agricolas commoueris,
 Vt quisq; ductus religione obulum offerat.
 Quaecunq; anus, quicumq; sunt silicernij,
 Vetuli, ueternosi, cibarium dabunt.
 Exosculabuntur sacrum (ut tu fers) os hoc.
 Finges quoq; & diuinitatem aliquantulam
 Peccata contemplatione piaculi

Remite

PRIMVS.

Remittere, indulgere ita reatibus,
 Defendere à plutonio illos tartaro.
 O mentis humanæ furem. But. Quid clamitas?
 Et quid latras? aut quid rabis rauce rabulas?
 An non mihi recte licet, quod est frequens,
 Triuiale, tritum, & usucaptum aedilibus.
 Sa. Quicquid hoc ais, os impudicatum geris,
 Et feculentum, & obsitum musco & luto.
 Ari. Papæ quid est? He. Testus ubi lumbricos coquas,
 Seu humana testa uermibus gurgustium.
 Li. Testudo nempe & bustuarium est caput.
 He. Fœtet graue. Sa. Male putet, ac fœdius olet.
 Ari. Lauato saltem, & pone subter imbricem
 Cauum hunc ubi pluit, aut ahenum tollito
 Aquæ calentis plenum, eo pollinceas,
 Pollinctor ut solet cadauera munditer.
 But. Quid si lauabo, & largiter pollinxero,
 Num uultis unguento ut perungam exotico,
 Ut cinnami atq; opobalsami unguine fumiget?
 Imò quidem maucim ut oletum naribus
 Crispantibus uestris oblatum oleat prius
 Vos rusticis parentibus nati fures.
 Lix. Etiam est opus lusorium unda si laues,
 Nam tum quid est? Bu. Volo ergo pelluere in labro,

ACTVS

Vt faciam & istis cruciferis hodie satis
Ehodum, quis it mecum ministerio comes?
Sa. At quem iubes? Bu. Venite Astophore & Salax.
Nam cæteri opperiantur hic nos affore
Breui & cito. Lix. Nos philosophabimur inter hæc.
Bu. Fiat, sed heus caute dum, ne quid nimis.

ACTVS SECVNDVS.

Phariseus, Heluo, Lixa.

Quid est quod isti lotum eunt rabulæ nequam?
Qui cuncta quæ loquuntur obligant metro,
Et uersibus suos poëtantur iocos.
Heus uos, quid est quod efferunt gremio foras?
Hel. Quid te attinet? uix ipsi hoc ipsum scibimus.
Fors larua scenis apta fiet ludicris
Vbi lauabitur, aut erit quoddam organum.
Pha. Quale organum? uultis 'ne uersus fistulis
Stridere? an ex persona capse quam lauit,
Turpes poëtae personare uersibus
Nugas leues, uetitas, & illeg s libris.
Lix. Hypocrita, & nulli ualoris æmule,
Ausis poëtarum sacrata munera
Temere profanare impio ore isto tuo.
Anas oleto leta fit, pullastra edit
Exputa spurca, anser cloaca pascitur:

Foris

SECUNDVS.

Foricas sues, porci latrimas eruunt:
 Tu asini onagri pullus auritus, luto
 Cænoq; gaudes belua indoctissima,
 Docesq; nos poëmatum sacra spernere,
 Quod ea esse dicas execrata de libris.
 Cuius libris? Num uox dei Terentium
 Spreuit? ne ad stimulum (inquentis) calcitres.
 Paulus Menandrum, Aratum, Epimenidem inuocat
 Testes, prophetas, atq; ueri conscios,
 Rerum omnium poësis est exordium,
 Et ante cælum, & ante mundum, præ omnibus
 Quod Moyses uates tuus tibi suggerit.
 Qui & ipse lusit uersibus poëticis.
 Sapiunt poëtae doctioribus uiris.
 Tibi fabulino, barbaro, indoctissimo,
 Fanatico, fatuo, uidentur sordidi.
 Asellus ad lyram, uetus prouerbum.
 Sed si modo per tempus, & negotium
 Mihi liceret, & uacaret tælua,
 Ostenderem recte tibi qui uir sies,
 At introrumpunt consodales audio.
 Pha. Ab eo domum dictis onustus pessimis.
 Lix. Nunc Heluo quantum esset in rem tute scis,
 Ut huic cauillatorium os contunderes.

C 3 Hel.

ACTVS

Hel. Sequar uirum, si mutiat, pugnos edet.

ACTVS TERTIVS.

Buttubatta, Salax, Lixa, Aristophorus.

D*ii uos edones, combibones, comici
Perdant omnes. Lix. Heus, te uolo. But. Quid
Lix. Dij ut te perire in re uelint non bona. (Lixa uis?
But. In rem malam uis dicere. Lix. Imò pessimam,
But. Melius meatim te ominari peruelim,
Tu quod tuli uide, tene, considera,
Num bellule ac lepide nitet post balneum?
Ne ego miser? quem oporteat tam uilibus
Mancipijs gestare morem, et pendulis,
Suspensili turba raponum, imò furum.
Tibi in manu est, agedum, colendum præbeas
Iam circulatim exosculentur hoc sacrum.
Ari. De mortui lenonis esse cranium
Videtur execrabile, ad furcas age,
Vbi repperisti hanc mortuam caluariam?
But. In craniario inter ossa putrida,
Vbi cubant tam diuites quàm pauperes.
Caput omnium mortalium dignissimum.
Lix. Quo? nam potest uel tartaro uel fulmine
Dignum esse, scirpo huic nodus est, obscura sunt
Que ais, responde, quid facis saluariam hanc?*

But.

TERTIVS.

But. Caput omnium mortalium dignissimum
Cui supplicetur, hoc gerenda consulit,
Et quicquid est quod consulit, princeps facit,
Omnis potestas huius in manu est sita.

Sa. Manes habere potest, at haud manus habet,
Ni sit lemurium quod unguis occulit,
Quod quaque noctium quietos territat,
Et unguibus vultu cicatrices notat,
Immane terriculamen & manes truces.

Bu. sine me tibi sodes recensere probe
Quid prodest, & quid obsit haec caluaria:
Vel haec quid omnino sit, unde venerit,
Quo tendat, & quorsum breui ventura sit.

Ari. Taceamus, usquam nil uolo appetitius,

But. Videtis hanc caluam recaluastram, cauam,
Et osseam, ac testaceam, prodest modis
Tribus, creat numerum, dat umbram, & loca replet.

Sa. Garrire Buttubatta noster uisus es
Dialecticum hoc sophisma, ut illudas tuis
Non cernitis quomodo suum os hic carnifex
Distorserat mox in loquendo fabulam?

Ar. Ah dic. Bu. Rogas? Li. Ah dic precamur. Sa. dic

But. Videtis hanc caluitiam, uel hoc caput, (modo,
Quod cuncta nutu, numine, & uoto suo

C 4 Rca

ACTVS

Regnat, regit, mandat, iubetq; & precipit
Nolentibus, uolentibus, simul aulicis,
Et incolis, & accolis, & proximis,
Et intimis, & extimis: contra deum
Contraq; fas uortit, reuortit omnia,
Et pro deo, pro fasq; rursus si uolet. (caput?)
Ar. Hoc uacuum, hoc illepidum, hoc putre ac uanum
But. Imò hoc potens, gratum, placens, laudabile,
Quod principem regit, trahitq; quò cupit,
Creat magistratus, repellit denuo,
Veterem exauctorat senatum, & consules,
Nouum senatum & consules succenturat,
Reiq; publicæ rescriptuarios
Alternitate muneris premit, leuat.
Negotiatu uniuersa principis
Sine principe, & consilia dat sine consule
De eiusmodi solo suomet capitulo.
Quod cernitis quàm illustre, quàm egregium, eminet.
Concludit autem principem triclinio,
Ne possit esse accessus ullis absque se.
Legationes ante mulgens concutit,
Quàm principis frui queant præsentia.
Nicta, & interdicta, iura, oracula,
Leges, profanis atque sacris dictitat.

Obea

TERTIVS.

Obediunt cœlestia & terrestria
Capitello huic: quia nam sublimat, & infimat,
Depauperetq; & diuitat: quæ uult, facit:
Quæ uult, iubet: quæ uult uetat Capitis caput.
Ari. An uera prædicas rogo te serio?
But. Quin uera. Sa. Vera? But. Verius uerissimo.
Sa. Hei mira fors istimodi caluarie.
But. Quin basiate liguriones hoc caput.
Sa. Quare? But. Quia ipsis capite plexis est caput,
Et omnibus furunculis, infamibus,
Epulonibus, mandonibus, mansucijs:
Cui quot usquam sunt uirorum mollium.
Ac molliorum foeminis nunc supplicant.
Quod in sacris & in profanis ædibus
Quasi sit deus colunt, adorant, prædicant:
Ludos, iocos, ferias, honores statuunt.
Mandat, probant: remandat, illi idem probant.
Condemnat, & dat gratiam: uexat bonos,
Amat malos, ut quisque furcifer fuit,
Proscriptus ob crimen, caput capital capit,
Seu factionis factiosæ industriam
Latrunculandi animo cum eo paciscitur.
Accedite huc lenocinatores uiri,
Caput hoc pudicos nunquam amauit coniuges.

C S Acce

ACTVS

Accedite huc adulterantes foeminae,
Caluaria ista prostitutas diligit.
Accedat huc & uirginum uenundator,
Saepe hoc caput de uirginauit uirgines
Ar. Vnde ergo adest? Bu. Ex Arabia. Ar. Nomen quod
Bu. Sergius, an ignoratis illum Sergium? (est?
Lix. Grammaticum eundem qui latina perdocet?
But. Nequaquam: at illum apostatam atq; persicum,
Qui ne latine neue graece doctus est,
Monio sthenis reprobis ducis meritorium.
Lix. Quomodo igitur monachus fuit? Bu. Blatero fuit,
Dicaxq; multiloquusq; uir sophisticus.
Nil dixit, at loquutus est audaculus,
Temerarius, uersutus, insolens, loquax.
At quando relligio suam nequiuerat
Amentiam ultra ferre, correctus fuit
A fratribus patribusq; more regulae
Ut par fuit, quod non tulit bene Sergius,
Curans quo abire posset e monasterio.
Erupit, euasit, retrocessit fugax,
Querendo qui moris sui compar foret.
Quid multa? repperit sui similem latro,
Potentio rem se tamen, tui ut queat,
Tanquam deum tutanum, & afferentem opem.

Noe

TERTIVS.

Nomine Mahometum, Cyrenæum genus,
Quem patria græce uocat Monioſthenem.
Deinde anciculum reiecit & ſcapularia.
Sed & cucullum, omnemq; adornatum ordinis,
Constantiam, & probitatem, & integram fidem.
Atque (ut breui ſermone plurima explicem)
Monachus qui erat, factus eſt apoſtata,
Fratrum ſuorum perſecutor maximus,
Quotiesq; uictus uinculis iniectus eſt,
Toties Mahometus receptum liberat,
Vel blandiendo, uel minando fratribus.
Idem Mahometus Damafcum primitus
Vbi obtinebat, & Syros, & Arrabas,
Turgebat hoc caput in grauem ſuperbiam,
Lenigero equo, & uolucris caballo inſidens
Cum quatuor coqueſtribus dromonibus.
Si orare coram plebe, uel patricijs
Conſtituerat, ſeſquipeda uerba ruminans,
Pontificio redimiculo comptiſſime
Trabeatus, in ueste augurali apparuit.
Sed me dies deficiet ortus hic recens,
Si res uelim geſtas ad unguem exponere.
Quo faſtu & impetu ſit uſus initio,
Quibusq; tunc & nunc mimis, & perpetim.

NAND

ACTVS

Nam seuebat ut assolent apostate.

Sa. Per pol, & adepol, & herculem, & canem.

De hoc tu quidem memorosiora quam antea

De quaq; re unquam audiuerim, modo explicas.

But. Nondum omnia: primum omnium foecialiter

Fraterculis bellum horridum indixit suis

Moniosthene fretus duce, proinde & sacris

Victum sacerdotibus ademit annum:

(Consuevit appellare praebendas sacras

Vulgas.) Renuntianit ille apostata

Sub nomine illius Mahometi uiris

Bonis, sacris presbyteris praebendas

Dimittere, & ieiunio mortem mori.

Sic omnibus facit probis caput hoc uiris.

Sed ganeonibus, & ligurionibus

Pater & protector est caput hoc pra omnibus.

Ar. O amabile hoc caput, But. O sculari desinis?

Ari. Exosculor quia leno sum, salue caput,

O caput omnis lasciuiae, caput leue,

Cauum caput, sine spiritu, sine lumine,

Salue caput, praesidium & heluonibus,

Glutonibus, gulonibus, nihili uiris

Et dulce scurrarum decus, salue caput.

But. Ut autem aperte cuique uera praedicem.

Ca

TERTIVS.

Caput hoc inane quod uidetis planiter
Est tale, quod oculos suos plenos facit,
Nec dat sed accipit semper, nec unde sit
Querit, sed an sit qui det, & det largiter.
Vos autem edaces & famelicos fures
Noui, nihil ludatis usquam à quo nihil
Rerum dari potestur ut fruamini.
Deinde amat quoq; neminem nisi apostatam
Similem sui, uel qui Mahometista sit
Professione, aut genere Phryx, aut Persicus,
Aut Medus, aut Damascus, aut Syrus, aut Arabs.
Nam illos domat, regit, gubernat, inuolat,
His Alkoranum fecit, & legem tulit,
Qua Saraceni utuntur & Turcæ truces.
Sic dictu & actu uult omnes apostatis
Fieri pares, tegere ut queat suum scelus.
Ar. Heu poenitet quod osculatus sim hoc caput.
Nam scire debui, cauum quod nil habet.
Quare nihil prestare quit sodalibus.
Sa. Et me pari moerore poenitet quoq;
Et hoc quidem de Butrubatta egre fero,
Qui spem bonam caluariæ nobis dedit.
Lix. Similiq; ego resipisco poenitudine.
Quare mihi palinodia est canenda iam,

Dij

ACTVS


Dij te caput uacuum atq; inane perduant,
 Et fulgur & fulmen superne concremet,
 Et quicquid inferis mali est dispulueret.
 Sa. Nix, ignis, effrenes procellæ, & grandines,
 Venti mali, & motiones terreæ,
 Fames, sitis, curæ graues, atque inedia,
 Febres, & ulcera, atque pestilentitas,
 Morbus caducus, si qua sint & cætera
 Mortalibus nocitura, uexent te ò caput.
 Ar. Par ipse uotum squallido capiti imprecor,
 Quod inferis est terror, id te distrahat,
 Terræ & hiatus glutiendo absorbeat,
 Furiale bellum Cerberusq; & Tartarus
 Te in carcere atro tulliano torqueant
 Viuum, atq; adhuc uinctum catenis ferreis,
 Et squallor, horror, aridus semper tremor,
 Densum cahos, & ater umbrarum chorus,
 Te cum Mahometo tuo dilanient,
 Te strangulent, obstringilent, obliterent,
 Et culter, & uenenum, & incantatio,
 Vitam tuam (quæ est mors) acerbe finiant.
 But. Factum bene est, caluuntur hac caluaria,
 Quicumq; spem locant in hanc caluam cauam
 Egi meum officium sodales optumi,

Lxx

TER TIVS.

Ludos leues meo cauillo callide,
Vobis uidentibus, attuli, id licuit mihi.
Si quis cupit prudenter omne negotium
Gerere, ut rei priuatæ id quod plus erit,
Etiam rei communitatis publicæ
Bene commodet, frugaliter cadat, & quadret,
Is meminerit quæ hac dicta sunt Comœdia.
Cum capite uano nil agat, nec consulat,
Vbi nec sapientia, aut constans fides,
Præsertim ubi iam peierauit denuo
Nam peius est unquam nihil periurio.
Nunc plaudite, & ualete, res acta est satis.

Comœdiarum Ioannis Reuchlini Phoro
censis finis



TH
at qu
foz
dir
Cu
tet
Sili
o fi
mpa
Vn
erac
test
ru
u gl
8 d
19 fi
pa
pu
ut
oita
ap.
Att
mo
se
ll
Alb
p
nu
u
elva



tuo n
at qui ex
ipoz re
dnt. sp
Cū cu
tet ad
i hū p
o ferū
ipaz
Vū ip
erat lu
testi
milit
u glau
8 dicit
9 firmi
p dicit
pruden
at In
ōta est
ap. eū
archet
mod ad
se ab al
ll calu
llhan h
p x n
mital u
nat p
llhan b

34B $\frac{3}{1,1}$

AB: 34B $\frac{3}{1,1}$

ULB Halle


3

003 483 584




gl-





Οὐκ ἔστι ὑψηλὰς κεραιτῶν οὐδ' ἐπισημίας.



3

IOANNIS

REVCHLIN PHORCENSIS. LL.
 doctoris comœdiæ duæ, Scenica progymnasma
 ta, hoc est, ludicra præexercitamenta
 Et, Sergius uel Capitis
 caput.



Colonia excudebat Ioannes Gymnicus
 ANNO M D XXXIIII.

